

## DEDICATORIA.

qui spiritualem cōficit panem, & eū populis diuidit, si vel propter humanā gloriā, vel lucra seculi, quæ gloriā consequuntur loquatur populis, & diuitibus blandiatur, & honoret peccatores, & iuxta Iacobum, suscipiat eos qui cum annulis aureis ad eos veniunt, pauperes sanctos repellat, vocem Dei despicit, & panem polluit doctrinarum.

Iacob. 2.

Gregorius de cura pastorali scribēs in hæc verba prorūpit: sunt nōnulli qui intra sanctā Ecclesiā per speciem regiminis, gloriā affectāt honoris, primas cathedras querētes, & salutationes in foro, qui susceptū cura pastoralis officium, ministrare dignè tantò magis nequeunt, quātò ad huius humilitatis magistrum, ex sola elatione peruenerūt. & inferiorius cap. 8. plerunq; q̄ præesse cōcupiscunt, ad usum suæ libidinis Apostolū pertrahunt, qui ait, Qui Episcopatū desiderat, bonū opus desiderat, qui tamē laudans desiderium in pauorem vertit p̄tinus, quod laudauit, cū subiungit, Oportet autē Episcopū irreprehensibilem esse. Et fauet ergo ex desiderio, & terret ex præcepto, ac si aperitè dicat, laudo quod queritis; sed prius discite quid queratis, ne dum nosmet ipsos metiri negligitis, tantò fœdior vestra reprehensibilitas appareat, quantiò & à cunctis conspici in honoris arce festinatis.

Gregor. de  
pastorali  
cura, cap. 1.  
lib. 1.

Matth. 23.

1. Timoth. 3.